

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Michael Dau

**Michaelis Dau, In Reg: Pernav: Acad. P. P. Ad Virum Pl. Rev. & Clarissimum Dn. Johannem Andream Dorsch ... De Atheismo, Qui (Tit.) Dn. Christiano Thomasio ... a quibusdam imputatur Epistola**

Pernaviae: Brendeke, 1699

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn736718273>

Druck Freier  Zugang



# MICHAELIS

DAU,

In Reg: Pernav: Acad. P.P.

*Ad*  
Virum Pl. Rev. & Clarissimum

# Dn: Johannem An-

dream Dorsch,

Legionis Tisenhusianæ & Ecclesiæ Ober-  
pahlensis Pastorem vigilantissimum.

# De ATHEISMO,

*Qui  
(Tit.)*

# Dn: Christiano

Thomasio,

JCto & Professori Halensi

a quibusdam imputatur

PISTOLA.

84

---

PERNAVÆ,

Exc. Joh. Brendeken, Reg. Acad. Typograph.

A. 1699.

Vir Plurimum Reverende & Clarissime  
Fautor & Amice honorande.



Um ad Tenuperis diebus canicularibus excurrissem, ut ante nostrum ex Urbe Dorpatensi discessum Tibi amicum dicerem vale: Varios, uti solemus, quoties unā sumus, sermones cecidimus de rebus ad literarum & Ecclesiae statum pertinentibus. Facta tunc quoque est mentio Domini CHRISTIANI THOMASII, Icti & Professoris Halensis longe Celeberrimi, quem Tu virum non immerito laudabas impensius, ejusq; scripta cum latina tum Germanica sic comparata esse censebas, ut Lectores docti parirer & indocti eximiam inde capere possent utilitatem. Dolebas autem vehementer, etiam inter Eruditos inviri, qui tanto Viro horribile Atheismi crimen imputare non vererentur. Et quanquam unā mecum agnosceres hujus calumniæ atrocitatem neq; pium quemquam vel sanæ mentis hominem tam manifesto mendacio aures præbiturum esse putas, qui libros ejus vel obiter inspexisset: Non operam tamen tibi lusurus videbatur, si quis criminacionem illam scripto publico diluere vellet. Ast mihi id minus consultum tunc videbatur, non solum propterea, quod Vir ille nullo hyperaspistā indigeret, verum & quod fere frustaneus es-

set

set labor illis os obturare, qui mero maledicendi pru-  
ritu virorum optimorum famam arrodere soleant, quip-  
pe quorum animi ad veritatem ita plerumq; occallue-  
runt, ut rationibus etiam evidentissimis parum vel ni-  
hil moveantur. Sed re melius pensitatâ statui per Episto-  
lam brevem ea, quæ mecum hoc de negotio postea com-  
mentatus sum tecum communicare, quò non solum  
tibi, sed etiam illis gratificarer, qui à calumniarum ar-  
chitectis seducti de THOMASIO non ex scriptis ejus, sed  
aliorum relatione admodum iniq; judicarunt. Hi e-  
nī si veritatem sincere amant, & originem calumniæ  
& usodierat 78 uoculæ exilie, quâ hic usus est, perspicient.  
Ansam mendacii quod concernit, fatendum equidem,  
Thomasium nostrum ante decennium & quod excur-  
rit, majorem sibi indulisse licentiam in censendis alio-  
rum scriptis, quam vel decorum vel Christiana Religio  
permitteret. Cum enim eo tempore ingenii sui po-  
tius quam Theosophiæ ductum sequeretur, neq; sanæ  
rationi satyricum scribendi genus tot seculorum con-  
suetudine validè comprobatum repugnare putaret, ali-  
quid humani eum hic passum esse non infitiandum; i-  
pseque hoc cum alibi tum in præfatione Opusculi ger-  
manici, quod inscripsit: Versuch vom Wesen des  
Geistes ultrò largitur. Quanquam tamen in excusa-  
tionem ejus aliqualem adduci posse videtur, quod cum  
singulari veritatis amore flagraret illam vero a præju-  
dicis Autoritatis humanæ, præcipitantæ & pertina-

ciæ 'velut captivam detineri animadverteret, obices  
hos objectos fortius aliquantò perrumpere conatus sit.  
Factum hinc est, ut neq; Peripateticis parceret, neque  
Cartesianis, nonnunquam etiam in illos, qui Schola-  
sticorum terminos & Dogmata quædam contumacius  
defendebant, virgulam censoriam expediret. Sic clas-  
sicum cecinisse videbatur adversus omnes, qui sectari-  
am Philosophiam veræ, hoc est Eclecticæ præferebant, &  
autoritatem humanam velut aliquod Idolum venera-  
bantur. Unde consecutum est, ut a multis Cavillator  
sycophanta, fanaticorum Gregalis imo Patronus, A-  
theus deniq; manifestus proclamaretur. Commodum id  
accidit Principi tenebrarum, qui nihil magis in votis  
habet, quam ut veræ sapientiæ propagationem modis  
omnibus impedit. Enimvero non intermisit ex illo  
tempore homines quosdam ψυχικὲ instigare adversus  
Thomasium, qui scripta ejus virulentis convitiis lace-  
rarent, multorumq; innocentium animis hanc implan-  
tarent opinionem, quod Dogmata ejus, quibus corni-  
cum oculos configeret, cane pejus & angue sint fugi-  
enda. Novit nimurum veterator infernalis Regnum  
suum non pati detrimentum, si odiis certent mortales,  
& illi velut heterodidascalī habeantur, qui faciem aliis  
præferre possunt ad genuinam veritatis investigatio-  
nem. Quod illi solenne esse, innumera propemodum  
Exempla evincunt. Ut antiquiora taceam, quis ignorat  
Lutherum, postquam ad Papisticam Idololatriam & su-  
persti-

perstitionem debellandam divinitus excitatus fuisset,  
tot calumniis oneratum esse, ut iis succumbere debuisset,  
nisi gratia Spiritus Sancti illum corroborasset. Ipsi  
quisque magiae Diabolice insimulabatur, qui post  
colloquium cum Cacodæmone sacrificium misericordum  
oppugnasset. In primis in Italiâ adeo denigratus erat, ut  
referente Melchiore Adamo eum Monachus quidam o-  
mnibus qui unquam existitissent Atheis pejorem existima-  
verit. Non ~~admodum~~ hoc esse Exemplum, sed instituto  
nostro maxime conveniens deinceps apparebit. Carte-  
sium nunc consideremus, qui cum ante aliquot annorum  
decadas inquirendæ veritatis methodum accura-  
tiorem in Physicis & Methaphysicis ostendere conare-  
tur: Atheus & profanissimus homo ab illis habitus est,  
qui Scholasticam & Aristotelicam Philosophiam ceu  
Palladium aliquid sanctè custodiendam esse persuasi e-  
rant. Et nunc tamen etiam orthodoxi Doctissimi Theo-  
logi nonnulli ejus Philosophandi rationem ita laudant,  
ut eam non ineptam prorsus existiment ad Atheos refel-  
lendos. Simile prope fatum expertus est Samuel Pu-  
fendorfius, cuius opus de J. N. & G. verâ sapientiâ  
& Eruditione plenum cum prodiiisset, aliquot Adver-  
sarios nactus est, qui illum Atheismi reum peragere sed  
irrito prorsus successu conati sunt Posteaquam enim  
Viri Prudentes & docti fundamenta, quibus hoc opus  
insigne superstruxit, considerarunt, communi ferè or-  
bis Eruditri consensu utilissimum illud declaratum est, I-

dem scriptis Thomasianis eventurum esse eò confi-  
dentius augurari licet, quo plures jam ex universitate ejus  
Doctrinæ coherentia perspexerunt, ita cum philosopha-  
ri, ut nemo magis piè magisq; demonstrativè possit.  
Quid enim aliud intendit vir hic *πολυμαθέτας* in sua  
Jurisp: div: quam ut hypotheses Pufendorfianas magis  
illustret, illaq; uberior exponat, quæ ad discriben J. N.  
& Juris divini positivi universalis rectius intelligendum  
prorsus sunt necessaria? Quod paucis ante illum co-  
gnitum fuisse negari nequit. Quid aliud agit in sua Intro-  
duct: ad Philosophiam aulicam & in Doctrina praxiq; Lo-  
gicæ, quam ut veritatis accurata criteria detegat, &  
demonstrandandi interpretandiq; modum planum & per-  
spicuum ostendat? In Ethices autem Doctrina ejusque  
praxi inculcandâ, quam solidè, quam eruditè versetur,  
pesimi quoq; inimici fatebuntur, si librum hunc cum  
cura legere & principia, quæ sequitur, considerare ve-  
lint. Ego certè ex quo lectio illius me beavit, illum pro-  
luculento commentario in dictum Joh. 2. vers. 16. habe-  
re cœpi. Neq; fortassis errabo, si hoc fuisse Thomasii  
nostrî consilium statuam, cum illum publicæ luci com-  
mitteret. In præfatione enim prioris partis, quam Do-  
ctrinam Ethicam vocat, dolet, quod pauci sua Philoso-  
phemata ad scripturam sacram accommodent, pericu-  
losissimè in eo errantes, quod Codex Sacer non ad phi-  
losophandum sed tantum ad credendum pieque viven-  
dum datus sit. Quasi in hoc sapientiæ omnigenæ prom-  
ptua-

ptuario non plura & longè meliora contineantur, quam  
omnes unquam Philosophi Gentiles imo & Christiani  
ductum solius rationis secuti invenire aut excogitare po-  
tuerunt. Elucet jam hinc quantam injuriam faciant  
Philosopho nostro verè Christiano, qui Atheum eum cla-  
mant & seductorem. An enim tanti flagiti potest accu-  
sari, qui non tantum nihil admittit, quod cum scriptura  
sacra pugnat, & Auditores Lectoresq; suos ad ejus lecti-  
onem sedulo hortatur, sed etiam pro veritate semel agni-  
tā (quam sane caro & sangvis illi non manifestavit) con-  
vicia & maledicta perfert, & in decurrendo stadio suo  
strenue pergit? Quis vero non deploret malitiam fe-  
culi quod in tanta veritatis luce multi adhuc caligare ve-  
lint, & tam impia criminatione peccata sua cumulare,  
quorum sibi gravissimam rationem reddendam esse non  
ignorant. Ceterum si istae rationes nondum sufficiunt  
inquis Thomasii Censoribus, agedum scripta loquan-  
tur pro ipso, in quibus Atheismum non ridet tan-  
tum & exagitat, sed nervose quoq; confutat. In Jurispr.  
Lib. I. C. 3. §. 46. 47. 48. Deum esse Argumentis com-  
muniter receptis demonstrat in Lib. 2. C. I. agit de of-  
ficiis hominis erga Deum. In praxi Log. C.I. §. 80. & seqv.  
non solum Atheum describit, sed etiam ostendit, quā me-  
thodo utendum sit, si de Numinis divini existentia & pro-  
videntia quis velit esse indubitato certus. In libello au-  
tem, quo studiosum Juris docet, quibus opus habeat do-  
ctrinis, quas vocat, fundamentalibus p. I. C. II. ea occur-  
runt,

runt, quæ illum ab imputatione Atheismi non tantum penitus absolvunt sed etiam Christianum imo Theologum minimè vulgarem esse arguunt. Quam luculenter deniq; suam exponit sententiam in opusculo supra jam allegato. Versuch vom wesen des Geistes/ubi Deo tanquam Spiritui primo æterno & infinito subordinat alium, quem ministrum ejus in natura creata vocat? Spiritus hic universi a nonnullis appellari solet. Quæ hypothesis licet a multis oppugnetur, quibusdam etiam nomine fanaticismi suspecta sit; Thomasius tamen eam cum Scriptura sacra apprimè consentire judicat. Quidquid de eo sit, (neq; enim ipse claram adhuc hujus Spiritus Ideam concipere possum, quamquam adversarios impensis Cartesianos multos hic nodos Gordios deprehensuros putem) illud sane palam est, Thomasium & in isto libello & in Scriptis reliquis existentiam & providentiam DEi disertis verbis docere adeoq; injustissimè ~~arguit~~ postulari. Ceterum si hoc etiam in confessio est apud prudentes, Virum verè doctum non posse Atheum fieri, Thomasius quoq; noster ab ista insania erit alienissimus. Optimè nimirum Verulamius C. 16. Serm. fid. Intellectus humanus dum causas secundas intuetur sparsas interdum iis acquiescere possit, nec ulterius penetrare, verum cum tandem catenam earum connexarum inter se & confederatarum contemplari pergit, necesse habet configere ad providentiam & Deitatem. Jam vero laudem Virinon tralatiū docti nemo ut opinor Thomasio ambiguam fac-

facier, qui scripta ejus per transennam tantum inspexit.  
Sed neq; cum illa vivendi ratione Atheismus consistere  
potest, quam sibi præscripsit Thomasius. Qui enim  
propius hunc virum norunt, narrant, eum non sobrie  
tantum frugaliterq; vivere, quævis gulæ irritamenta  
fugere & in domo suâ nil nisi quod est honestum & pi-  
um tolerare: sed etiam Auditores suos hortari, ut piè  
justè, casteq; vivant, itaq; se comparent, ut aliquando  
sint utilia Ecclesiæ membra. Si quis præsumere velit  
ex illa forte hypothesi, quod Atheismus non necessariò  
ducat ad vitæ morumq; improbitatem, hypocrisim hic  
aliquam latere, is sciat non esse Viriboni, nedum Chri-  
stiani tale quid suspicari. Deinde ipsa illa rerum spiri-  
tualium cognitio , quam inscriptis ubiq; prodit Tho-  
masius vix cadere potest in illum qui pietatem simular,  
aut aliorum unicè libris suam debet sapientiam. Vivum  
sit Spiritus Sancti Organon necesse est, qui ea possit in-  
telligere, quæ in libris Thomasianis continentur. Ne-  
que potest hypocrita odio vero & constanti mundum  
& opera carnis prosequi , quod tamen Thomasium  
facere nemo nisi qui studio partium ducitur , negabit.  
Fortean autem Virum hunc nonnullis videbor nimis  
extollere, & ea quoque probare, quæ multis etiamnum  
displicent, qui nunquam eum oderant. Utut enim hi  
agnoscant, maximè in illum injurios esse, qui illum di-  
vinæ Majestatis reum peragere conantur: Urgent ta-  
men non consentire cum Christianismi regulis , quod

B

diceriis

dicteriis aculeatis pungat Adversarios, & verbis amarulentis utatur, ubi leniora locum habuissent. Enimvero hic primo tenendum est, ita s̄pē comparatum esse cum veritatis Doctoribus, ut non possint ubiq; voces & formulas loquendi emollire. Sienim Scapham scaphā vocare debent, durioribus s̄pē verbis utendum, neq; tunc veritatem professi veniunt accusandi, sed qui eidem pertinaciter resistunt. Sicut Medico non imputandum est sed ægro, cum sectiones adhibendæ aut medicina ingrati saporis & odoris sunt propinanda. Verum demus etiam, Thomasium interdum stylo usum esse mordaciori, num propterea in Atheorum classe locandus & ex catalogo Christianorum expungendus erat? Notum sane est, quale scribendi genus familiare fuerit Megalandro nostro Lutherò. Quo nomine non à Pontificiis tantum ut belluinae insolentiae homo taxatus est, sed ab iis quoque reprehenditur, qui eum bella Domini gessisse fatentur. Notabile autem est hâc de re B: Seckendorfii judicium, quod exstat in historia Lutheranismi, quam Maimburgio opposuit, lib. 3. p. 133. ubi dum agnoscit inter leves errores referendum esse, quod Lutherus in modo defensionis & verborum indecentia excesserit, hæc subjungit *αΞιονυόμενα*: *Aliibi etiam judicium magnorum piorumque virorum allegavimus, qui impetum illum et acrimoniam styli juste Ⓛ in pejora meritos nec NB. sine divina providentia exercitum fuisse agnoverunt, eo sine dubio fine, ut superbia Ⓛ per-*

pertinacia Adversariorum adulatio[n]ibus eo usq[ue] mirifice  
sustentata & inflata frangi illâ duritie pos[se]t. Liceat no-  
bis pace illorum qui in Thomasium tantopere invehun-  
tur h[oc]c verba ad illum applicare. Nam etsi ille non  
directe defendat religionem aut controversias m[er]e  
Theologicas tractet, eam tamen veritatem quærerit, a-  
liosq[ue] docere allaborat, quæ & illos ad mentem sanio-  
rem revocare potest, quibus nihil adhuc commercii est  
cum genuina virtute, & illos mirifice oblectat, qui  
jam in Schola Spiritus Sancti ad ductum scripturæ sa-  
cræ veritatem edocti sunt. Ut proinde non optan-  
dum sit, cum Autore illo, qui superiori anno novissima  
Sinica edidit ut Missionarii Sinensium in Europam no-  
stram veniant, qui Theologiae naturalis usum praxinque  
& emendatiorem vivendi rationem nos doceant. Dedit  
enim nobis DEus in hoc Thomasio virum, qui multo  
accuratius doctrinam moralem proponit quam omnes  
Sinensium Mandarini. Quam gratiam DEi decenter  
agnoscere debebamus, non autem damnare dogmata,  
quæ nondum satis capere vel possumus vel volumus. Si  
enim occurrunt aliqua in libris ejus, quæ vel cum sa-  
cra Scriptura vel Philosophia nostra pugnare videantur,  
suspendamus paulisper judicium nostrum, & videamus  
anon ita possint explicari ut Autoritati oraculorum  
divinorum nihil decedat. Ipse non diffiteor, aliquas  
ejus hypotheses mihi non videri admodum firmo talo-  
stare; unde eas nec probo nec rejicio, sed uberiorem

B 2

lucem

sucem expetō; quā accedētē mihi apparet nihil esse  
Scripturæ vel rationi contrarium. Ceterū si quid ex-  
scriptis judicare possum de indole Viri, quem nunquam  
videre mihi contigit, ausim spondere, eum erroris si  
quem sovet convictum libenter manus victas daturum  
& veritati cessurum esse, si modo intellexerit, hanc uni-  
ce intendi ab illis; qui Dogmata ejus nonnulla exami-  
nare voluerint. Quod ut placidē modesteque faciant  
solidioris doctrinæ Viri, literariæ imo totius Christianæ  
rei non parum interessē arbitror. Vale Vir pl. Reve-  
rende & Veritatem constanter tuere. Perna-  
via D. 23. Septembr. 1699.



